10

Q. D. B. V.

DISSERTATIO MEDICA

De

VESICATORIORUM USU,

Quam

Annuente Archiatro ſummo

JNDULTU

GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ

in

Illuſtri Argentoratenſium Univerſitate

PRO LICENTIA

Summos in Arte Medica Honores & Privilegia Doctoralia ritè conſequendi

Solenni Philiatrorum Examini

ſubjiciet

GEORGIUS PHILIPPUS NENTER,
Gelnhuſanus.

Ad diem 16. Menſ. Octobr. M DCC IV.

ARGENTORATI,
Literis JOHANNIS PASTORII.

VIRIS

Magnifico, Nobiliſſimis, Excellentiſsimis atq; Experientiſsimis

DN. MELCHIORI SEBIZIO, Anatomiæ & Botanicæ Profeſſori celeberrimo, h. t. Univerſitatis Rectori meritiſſimo.

DN. JOH. SIGISMUNDO HENNINGERO, Inſtitutionum Medicarum atque Chymiæ Profeſſori Publico, h. t. Facultatis Medicæ Decano Graviſſimo.

DN. JOH. VALENTINO SCHEIDIO, Praxeos Profeſſori longè celeberrimo, Facultatis Medicæ Seniori & Archiatro digniſſimo.

Patronis & Præceptoribus ſuis æternum devenerandis.

VIRI

Magnifice, Nobiliſſimi, Excellentiſsimi atq; Experientiſsimi.

DIſſertationem, quam acutiſſimis hic Veſtris Oculis ſubjicio, meliorem ſui partem è Doctrinæ Veſtræ omnigenæ Fontibus duxiſſe, nec vobis perſpicere alienum, nec mihi confiteri pudibundum erit. Sanè, ut Beneficiis, quibus me cumulatiſſimè mactaviſtis, condignum ſtatuam Monumentum, id eſt, Tempo-

rum Oblivionem ſuperaturum, pariter incomparabilis Veſtra Comitas exigit, pariter nimium ſuſpicax mea Imbecillitas negat. Ut tamen aliquid faciam, præſentem elegi Occaſionem, quâ ſi Curæ, quas in me impendiſtis, non ſunt recompenſatæ, partim excuſabit, me unicum non eſſe, qui hanc Viam exſolvendi ſe triverit, partim Solatio erit, nec Virtutes nec Diligentiam ſub Æſtimationem venire. Itaque *Excellentiſſimi Domini* audaci has Pagellas Fronte Vobis offero, Spem unicè in nota Veſtra Humanitate reponens, quam in accipiendo hoc qualicunque Gratitudinis Specimine, non diſſimilem ſibi fore ſerio perſuaſum habet.

Excellentiſſimi Domini

Obſtrictiſſimus Cliens veſter

GEORGIUS PHILIPPUS NENTER.

Q. D. B. V.

Procemium.

CUm nuperrimè ſuperatis examinibus à Gratioſiſſima Facultate Medica, Diſſertationem, quod ajunt, inauguralem conſcribere juſſus fuerim, meliorem & quæ in Praxi majorem haberet utilitatem, invenire non potui materiam, quàm de Veſicatoriis; horum enim uſus tantus eſt, ut multi magni Morbi absque eorum ope vix curari poſſint. Hinc maximè miror ea à quibusdam aut parvipendi, aut prorſus rejici ex eo fundamento, quod nimis doloroſa ſint & violenta, ac non raro malum ſortiantur effectum; verumenimverò, ſi omnia ea, quæ moleſtiam quandam creânt, vel violentiâ quâquâdam agunt, è Medicina exulare deberent, miſerrima eſſet Chirurgiæ conditio, utpote quæ ferro & igne efficax eſt. Et quis ideò Veſicatoria è foro Medico proſcriberet, quod nonnunquam ſiniſter indè ſequatur effectus, cum id ſæpius vel à præpoſtera applicatione, vel ſpeciali ſubjecti ægrotantis idioſyncraſia aliisque circumſtantis dependeat, legitimo enim tempore & modo adhibita ferè nunquam nocent, ſed potius ſummè utilia ſunt, undè etiam tot elogiis in variis morbis ab Authoribus exornantur. Morbos hoſce ex optimis Practicis collegi, tibique L. B. exhibeo, conatus equidem ſimul ſum ſingulis affectibus ſubjicere modum agendi, aſt cum hoc opus po-

tius ſit viri docti & in Medicina verſatiſſimi, quam tyronis & leviter Medicâ arte imbuti, facilè veniam me impetraturum ſpero, ſi omnia non ita accuratè explicata ſunt, ut applauſum tuum mereantur. Interim tamen cum in arduis tentaſſe ſufficiat, rogo ut hunc qualemcunque laborem æqui boniq; conſulas.

---

§. I.

VEſicatoria ſunt illa ipſa medicamenta, quæ cuti corporis noſtri, quocunque demum in loco id ſit, applicata, veſiculas excitant; & hoc ipſo à Rubificantibus, Cauſticis & Corroſivis ſe diſtinguunt & mediâ quaſi viâ incedunt; Rubificantia enim cuti ſaltem ruborem inducunt; Cauſtica & Corroſiva cuticulam & cutem, imò etiam nonnunquam carnem ipſam exedunt; Veſicatoria autem intactâ cuticula cutis fibras aggrediuntur, in iisque particulis ſuis acribus irritationem & ſpaſmodicam quandam contracturam excitant, undè humores in cute tanquam in filtri anguſtiis hærentes, partim ibidem detinentur, partim propter continuam irritationem & vellicationem, ſalisque volatilis cum Maſſa ſanguineâ communicationem & majorem inde dependentem rarefactionem, (quod de cantharidibus potiſſimum valet) majori copia ad exteriora quaſi alliciuntur; Cum autem cuticula denſior ſit cute & compactior, ſic, ut quæ cutis poros permearunt excrementa non raro ſub cuticula coërceantur, quod varii generis puſtulæ teſtântur, cuticula tandem ob majorem ſeri copiam per poros cutis effluentem attollitur, veſiculamque conſtituit. Non tamen id fit attractione quâdam, uti Veteres ſibi perſuadebant, hæc enim à Phyſicis Neotericis inpr. Nobiliſſimo eorum ſydere Boyle validiſſimis argumentis exploſa eſt, nec hodierno die attractio quicquam valet, niſi apud eos, quorum animos religioſa Antiquitatis Veneratio attrahit.

§. II.

§ II.

Duplicem autem in finem in Praxi adhibentur 1. *pro ſcopo evacuatorio*, ut materia aliquo in loco vel quantitate vel qualitate peccans è corpore evacuetur. 2. pro *ſcopo revulſorio & derivatorio*, ut humores & ſpiritus partibus nobilioribus noxam minitantes mediantibus Veſicatoriis ad ignobiliores revellantur & revocentur. Agunt itaque cuti admota in ſpiritus & humores. In *ſpiritus* ea agere patet 1. ex dolore, quam excitant. 2. quod in valdè languidis parum & 3. in cadaveribus prorſus non operentur. 4. in morbis ſpiritibus adſcribi ſolitis magnum afferant commodum. Quod in humores corporis noſtri operentur, liquet ex eo, quod ſerum fundant & notabilem in Maſſa ſanguinea alterationem efficiant; cantharides enim externè applicatæ ſale ſuo volatili urinam ac ſudorem movent. vid. Williſ. Pharmac. Rat. p. m. 270. urinæ ardorem ac ſtranguriam, imò in tenerioribus ſubjectis nonnunquam mictum cruentum excitant, vid. præter Williſ. l. c. M. A. N. C. Dec. 1. Ann. 2. obſ. 105. & Ann. 9. & 10. obſ. 148. Dec. 2. Ann. 1. obſ. 163. & An. 7. obſ. 137. & dyſenteriam quoque juxta Williſ. l. c. producunt. Quo etiam pertinet, quod Panarolus Pent. 4. obſ. 2. annotavit, Medicum quendam imperitiorem poſt Venæ ſectionem manè inſtitutam, veſperi Veſicatorium brachio applicaſſe, undè mediâ nocte venâ reſeratâ ingens hæmorrhagia ægroque lethalis inſecuta. Quamvis autem hæc poſteriora non ſemper & rarò contingant, uberrimè tamen Veſicatoriorum in Maſſam ſanguineam operationem teſtantur & probant.

§. III.

Non tamen omnibus æque conveniunt Veſicatoria inpr. è canthandibus, quoniam iis, quibus tenerior eſt meatuum urinariorum textura, facilè damnum inferunt. vide præter ſupra ex variis Autoribus allegata M. A. N. C. Dec. 2. Ann. 7. obſ. 137. Borell. Cent. 2. obſ 58. Lang. Epiſt. Medic. p. 193. 208. & ſeqq. quod etiam ſpiritum volatilem & urinoſum è cantharidibus cum cineribus clavellatis paratum ſolo odore præſtitiſſe Dec. 2. A. N. C. Ann. 1. obſ. 163. legimus. Quamvis tenerior hæc textura à priori non ſemper cognoſci poteſt, in multis

enim

enim exterior corporis habitus ſatis robuſtus videtur, quorum tamen viarum urinariarum textura adeò tenera eſt, ut facilè noxam patiantur, quod inpr. contingit calculoſis & ad calculum diſpoſitis, hinc in his non niſi pro majori malo avertendo, affectu ſc. ſoporoſo, veſicatoria è cantharidibus adhibenda ſunt. Ratio autem, quare potiſſimum viis urinariis noceant, hæc videtur eſſe, quamdiu ſpicula cantharidum cruori permixta ſunt, ea ita involvuntur à ſanguinis particulis balſamicis, ut vim ſuam in aliarum partium membranas exerere minimè poſſint, quamprimum autem ſerum in renibus ſecernitur, quoad maximam partem balſamicis particulis privatur & ad ſalinam naturam vergit, hinc cantharidum ſpicula magis ſui juris reddita cum particulis urinæ ſalinis combinata hoſtiles viis urinariis manus injiciunt. Eodem modo etiam nocent iis, quorum ſanguis eſt bilioſus ſive multis particulis acrioribus ſcatet, hiſce enim cantharidum ſpicula juncta facillimo negotio veſicæ nocent. Ranunculus quoque cum cautelâ adhibendus eſt, parvâ enim doſi profundas & doloroſas excitat veſicas, ideò rarum ejus uſum ſuadet Ettmüll. Tom. 1. p. 298. b. Hinc non omnia veſicatoria promiſcuè omnibus ſubjectis applicari debent, ſed pro ratione ſubjectorum & morborum veſicatoria quoque mutentur neceſſe eſt.

§. IV.

In genere adhuc notandum. I. Veſicatoria non niſi præmiſſis univerſalibus tutò adhiberi poſſe, quoniam niſi humores prius per Venæ Sectionem, Purgationem, Diaphoreſin, Diureſin evacuati aut alterati eſſent, impetuosè nimis & confertim ad partem veſicatam ruerent, de quo vid. Hild. lib. 6. obſ. 98. II. Melius ea applicari ſub forma emplaſtri vel cataplaſmatis quam ſub alia, quia emplaſtica poros cuticulæ magis obſtruunt & opplent, ut ita commodius ab humoribus ſeroſis & ichoroſis, per cutis irritatæ poros tranſudantibus, in veſiculam attolli poſſit. III. Satius eſſe cantharides pondere quam numero præſcribere, nam cum aliæ aliis majores ſint, facilè ſi numero præſcribuntur, errori dari poteſt occaſio. doſis ordinaria eſt ℈j. ʒß. ad Empl. ℥ij. IV. Veſicatoria uſitatius adhiberi in morbis acutis ſubitaneum auxilium poſcentibus,

quam

quam in chronicis, ubi fonticuli potius uſurpantur. V. Locus, ubi veſicatorium eſt applicandum, abluatur aceto, ut facilius veſicæ excitentur, & pili ſi adſunt abradantur, quo commodius applicari poſſint Veſicatoria.

§. V.

Sufficiant hæc de Veſicatoriis in genere. Progredior nunc ad ſpeciales corporis humani affectus, in quibus cum ſucceſſu adhibentur, initium faciens à capite, ubi frequens admodum eſt *Cephalalgia*, quando ſc. membranæ cerebri, vel etiam pericranium, nonnunquam per ſe, nonnunquam per conſenſum, à materia nimis acri ita punguntur, vel à copioſa viſcida ita premuntur, ut triſtem ſenſationem ſive dolorem in ægris efficiant, & pro materiæ conſtitutione cephalalgiam modo urgentem & acerrimam, modo obtuſam, pro tempore autem invaſionis, modo periodicam modo chronicam reddant: ubi ſanè veſicatoria optimo cum ſucceſſu applicantur, quatenus vel materiæ cerebri membranas vellicantis vel rodentis acrimoniam corrigunt & temperant, unaque cum reliquo ſero per veſiculas in cute excitatas ſenſim ſenſimque evacuant; vel viſcidam incidunt & attenuant, ut ita magis habilis ad exitum per veſicam evadat. Vid. Muys Prax. Chirurg. Rat. pag. 69. & 70. Dicta confirmat experientia diverſorum Authorum, ex multis paucos & præcipuos allegaſſe ſufficiat. Ettmull. Tom. I. p. 298. meminit feminæ cujusdam cephalalgia graviſſimâ laborantis, ob ſuppreſſum materiæ purulentæ ex naribus fluxum, quam applicatis Veſicatoriis ponè aures curavit. Daniel Ludovici M. N. C. Dec. I. Ann. 9. & 10. obſ. 34. viro cuidam macro graviſſima cephalæa laboranti Veſicatorium per vices retrò aures nuchæque applicandum dederat, hic autem ex impatientia toti cervici id impoſuerat, undè una continua veſica exorta magno cum ægri levamine. Sic. Rolf. Meth. cogn. & cur. part. C. H. off. p. 30. in cephalalgia graviſſima Emplaſtrum Veſicatorium è cantharidibus toti capiti raſo inſtar cucuphæ cum ſucceſſu applicavit. Objici hic poſſet, male applicari Veſicatoria è cantharidibus in Cephalæa graviori, cum in hâc ſanguis multis ſcateat particulis acrioribus, quo tamen caſu ea antea rejecta fuerint; ſed facilè objectioni reſpondetur, malum

B hoc

hoc eſſe urgens & ideò adhoc primario eſſe reſpiciendum eique occurrendum, optimeque adhiberi cantharides, quod citius quam reliqua veſicatoria operationem ſuam edant. Locum applicationis commodiſſimum in Cephalalgia credo eſſe caput ipſum, quoniam hoc modo remedium ipſi parti affectæ propius eſt, & ita commodius cauſam morbificam ſubtrahere poteſt: deinde quia maximus eſt conſenſus partium capitis externarum cum internis, inpr. pericranii cum durâ matre, cujus elongatio illud videtur Blancardo Anat. Part. 2. p. 274. illuſtrari hoc poteſt obſervatione doctiſſimi cujusdam Medici: Mercator quidam cephalalgia admodum diuturna & quidem in fronte laborabat, ubi omnia contra dolorem capitis uſitata remedia incaſſum adhibita, tandem ſuaſu Medici veſicatorium toti fronti imponit, unde veſica magna exorta dolor ſtatim ceſſavit & adhuc ceſſat; ſæpè enim tanta adeſt obſtructio tubulorum quorundam, ut prorſus nihil neque aliis remediis, neque veſicatoriis, remotiori parti applicatis, effici queat, quam tamen Veſicatoria propius parti affectæ admota optimè tollunt: Ideo locus applicationis pro ratione circumſtantiarum & indicantium variari poteſt.

§. VI.

In *Epilepſia* & *Convulſionibus* optima eſſe Veſicatoria variæ variorum Practicorum teſtantur obſervationes: & quidem in motibus convulſivis ſtupendis, aliàs faſcinationi adſcribi ſolitis, Veſicatoria magno cum ſucceſſu adhibita eſſe teſtis eſt Williſius de Medic. Operat p. m. 272. & hinc inde de Morb. Convulſ. ut & Rolf. l. a. de Convulſione. Epilepſiam quoq; fruſtra omnibus aliis adhibitis veſicatorio cruribus admoto ſe curaſſe perhibet Poliſius M. A. N. C. Dec. 1. Ann. 9. & 10. obſ. 14. Conf. Rolf. de Epilepſia. Nec ſine ratione in Epilepſia & Convulſionibus adhibentur, duplici enim fine hic proſunt, tum ſpiritus divertendo & motum illorum inordinatum aliquo modo corrigendo, tum cauſam, humores ſc. acres ſive fermentum epilepticum, ſpiritibus motus hoſce inordinatos imprimens, educendo, ſive hoc fermentum reſideat in parte aliquâ externâ, ſive in ipſo cerebro hæreat. Dolæus Encyclop. Med. p. 135. Veſicatoria ſuturæ coronali applicari ſuadet,

propter

propter rationes §. præced allegatas. Curioſa admodum ſunt, quæ Lentilius Miſcell. Med. Pract. p. 41. ex D. Majore allegat, vermiculos cynosbati candicantes epilepſiæ eodem modo mederi, ac Veſicatoria externè in febb. intermittentibus aliisque morbis applicata, eos ſcil. in Ventriculo veſicas excitare & bonam partem miaſmatis epleptici colligere, ſicque epilepſiæ paroxyſmos declinare. Curioſum ſanè ſi modò Veritati & Experientiæ conſentaneum eſt. Lentilius ipſe eum inſolito more loqui l. c. aſſerit.

§. VII.

Nec in *Vertigine* inpr. *Cephalica* Veſicatoriis carere poſſumus, cum affectus ſit gravis & cito ſui ablationem poſtulet, propter metum Epilepſiæ & Apoplexiæ, quas plerumque præcedit. Nec absque ratione hic ſuadentur; Vertigo enim conſiſtit in motu inordinato & circumgyratione ſpirituum animalium dependente à corpuſculis heterogeneis & ſylveſtribus ſanguini commixtis, quæ ſimul quosdam pororum & ductulorum ſpirituum animalium, inpr. circa nervos opticos, leviter obſtruunt, undè plerumque Vertigini caligo conjuncta eſt. Hiſce indicantibus Obſtructioni ſcil. aliquali & motui inordinato optimè ſatisfaciunt veſicatoria, non ſolum enim ex toto corpore cum ſero, per veſicam affluente, multas particulas peregrinas evacuant, & convulſione ſuâ tremulâ in cerebri ductulis hærentes excutiunt, ſed etiam ſpiritus animales hinc indè inordinatè motos ſublata cauſa placido motui & undulationi reſtituunt. Conf. Dolæi Encyclop. Med. p. 114. qui Veſicatoria hoc in caſu prodeſſe ſe ſæpiſſimè ex ore Sylvii hauſiſſe perhibet. Liceat huic Vertigini ſubnectere Vertiginem ab Hydrope cerebri oriundam, cujus meminit Lentilius Miſcell. Med. Pract. p. 38. ubi à Wepffero p. 41. commendantur Veſicatoria toti capiti applicata, ad educendam aquam & Vertiginem curandam; id tamen notabile eſt, Veſicatorium parti capillatæ impoſitum nullas veſicas aut ſaltem minutulas, multum tamen ſeri plorantes excitare, in parte autem calvâ ſtatim eas producere. vid. l. c.

§. VIII.

In *Apoplexia* tum in, tum extra Paroxyſmum utiliter adhibentur.

hibentur. *In Paroxyſmo* quidem, quatenus per motum tremulum & convulſivum in extima quadam parte inceptum & ad cerebrum uſque continuatum, materiam viſcidam in nervorum principio hærentem, ſpiritusque ab influxu in partes prohibentem excutiunt, ut ſpiritus liberè ad partes moveri, hisque ſenſum & motum reſtituere queant. Hunc in finem Veſicatoria ampla & acria vel nuchæ vel pluribus locis ſimul, vel juxta Heer. obſ. Med. p. 186. toti capiti raſo applicari poſſunt. Vel etiam juxta eundem Veſicæ excitentur cucurbitâ, ſtuppâ ardente repleta, quas facilius & citius ægros excitare ſcribit. Parum intereſt, quocunque modo id fiat, modo finis optatus ſive excuſſio materiæ viſcidæ plenaria obtineatur, influxusque ſpirituum animalium promoveatur. Si hoc non procedit, fortiori Apoplexiæ gradui, majori ſc. principii nervorum obſtructioni & altiori materiæ morbificæ inhæſioni adſcribendum; in mitiori enim Apoplexia ferè nunquam Medicum fallunt, de quo teſtantur omnium Practicorum libri. *Extra Paroxyſmum* autem juvant, dum per apertas veſicas materiam morbificam continuato fluxu non ſolum ex toto corpore, ſed etiam quod præcipuum ex capite evacuant.

§. IX.

Statim Apoplexiæ ſubnecto *Paralyſin*, utpote quæ ſæpiſſimè eam ſequitur, quando ſc. pars materiæ viſcidæ adhuc in quibusdam nervis remanet, ſpirituumque influxum impedit, ut partis illius, ad quam nervus terminatur, ſenſus pariter ac motus pereat. Hoc ſanè caſu Veſicatoria conducere plurimi teſtantur Authores, quia (inpr. ſi Veſicatorio admiſceantur cantharides) partim materiam ſæpius nominatam viſcidam ſale ſuo volatili incidunt, attenuant & ad exitum diſponunt, partim etiam ſpiritus officii ſui admonent, ut, ceu partes Hippocratis impetum facientes, ſimul cooperentur, quo materiâ illâ morbificâ eductâ partibus debitus reſtituatur vigor & tonus. Et ſic maximo cum fructu in omnibus Paralyſeos ſpeciebus adhibentur, ſive ſit Paralyſis Linguæ, ſive alius partis. Sic ad Paralyſin Palpebrarum commendantur à Riverio & aliis præſtantiſſimis Medicis. vid. Timæi à Guldenklee Lib. 1. epiſt. 1. & ſeqq. Nec minus conducunt in *Tremore & Stupore* Partium,

tium, gradibus Paralyſeos, qui dependent ab inſufficiente ſpirituum animalium influxu, quatenus commodiſſime per Veſicatoria ad partes Tremore aut Stupore affectas invitantur. Exemplum de Tremore pollicis, ſpaſmo manus & Panaritio digiti, Veſicatorio maximam partem curato, habet Muys Prax. Chirurg. Rat. p. 267. & 268.. *Ephialtes* quoque ſive *Incubus* huc referri poteſt, quia hic quoque eſt denegatus influxus ſpirituum animalium, non tam in origine, quam in inſertione nervorum recurrentium, ramulos diaphragmati aliisque thoracis partibus largientium, undè ſtagnatio ſanguinis in præcordiis periculoſa oritur, ſenſum maximæ molis præbens: non tamen in ipſo Paroxyſmo, quoniam brevi tempore terminatur, ſed præſervationis tantum gratia adhiberi debent, ut ſcil. materia acris Spiritus in inſertione vel figens, vel ab influxu quocunque modo prohibens, ſenſim eliminetur.

§. X.

Nec minus in reliquis *Affectibus ſoporoſis*, *Lethargo ſ. Veterno*, *Caro*, *Comate Somnolento & Vigili*, quam in Apoplexia proſunt, quia propter fibrillas nerveas in cute irritatas ſpiritus torpentes aut ligati ita moventur, ut tandem ex materias ligantis compedibus ſe extricent, priſtinumque reaſſumant motum placidùm. Sic novi exemplum Coloni cujusdam, cui inter pocula à Murario quodam Tyrolenſi amuſſi ferrea caput ita percutiebatur, ut cranium indè fractum ad contactum teſtarum inter ſe colliſarum ſonum ederet, percuſſus ſine ſenſu & motu per longum tempus jaciebat, accerſebantur Medicus & Chirurgus Patrii, quibus adjungebantur adhuc Medicus alius & Chirurgus celebris cujusdam urbis, trepanum ab his quidem ſuadebatur, ſed cum ob cranium adeò diffractum hoc impoſſibile eſſet, ægrum triſti prognoſtico, brevi ſcil. eum moriturum, relinquebant. Medicus autem Patrius, ut nihil omitteret eorum, quæ in hoc caſu neceſſaria ſunt, ſuadebat Veſicatorium, ſi fortè hoc modo æger à torpore iſto profundo excitari poſſet, Chirurgus toti capiti id applicabat, idque per totam noctem relinquebat, altero manè Adſtantes læta voce ægrum ad ſe rediiſſe nuntiabant, quem deindè fracturæ cranii convenientibus remediis priſtinæ ſanitati reſtitutum ſæpius vidi.

 §. XI.

§. XI.

In *Phrenitide* etiam conveniunt Veſicantia extremis admota, teſte Rolf. Meth. cogn. & cur. part. C. H. aff. p. 14. quod etiam valet de aliis deliriis. conf. Senn. Prax. L. 1. P. 2. cap. 26. qui cruribus vel brachiis ea applicari ſuadet, ad revellendum à capite: ut ſcil. materia illa acris, ſpiritibus cerebri incolis infeſta, eosque continuò ita turbans, ut mentis regimini minus obedire queant, ad partes exteriores revocetur, quo hâc educta, tum inflammatio (de Phrenitide loquor) diminuatur, tum ſpiritibus quoque, ceſſante motu eorum inordinato, ordinatus reſtituatur, ut anima iis ad neceſſaria munia omni tempore & quando opus ei videtur uti poſſit.

§. XII.

Maniaci quoque opem poſtulant à Veſicatoriis. Cum enim in his ſpiritus animales igneam quaſi inducant naturam, in continuo motu verſentur, ſummaque ferocia & furor adſit, omnia ea adhibenda ſunt, quæ partim ſummum iſtud robur, maximumque ſpirituum motum imminuant, partim etiam cauſas, motus hoſce ſpiritibus imprimentes, removeant. Utrique huic ſcopo optimè ſatisfaciunt veſicatoria, præſertim fortiora, hæc enim variis in locis vel etiam toti capiti applicata propter dolorem non ſolum ſpiritus maximè enervando furorem compeſcunt, ſpiritusque è cerebro ad exteriores partes quaſi rapiunt, ut ſic in capite aliqualis quies oriatur; ſed etiam maximam partem ſeri acrioris, & juxta Williſium, ſtygiæ aquæ naturam habentis & ſpiritus continuò turbantis, per ulcuſcula in cute excitata evacuant.

§. XIII.

Contrarii his ſunt *Melancholici*, quia in his metus & triſtitia, & cogitationes ſemper uni rei inhærentes, in illis autem ſumma ferocitas & furor cum maximâ audaciâ, & tamen Melancholici levamen ſentient à Veſicatoriis: Sive melancholia ſit cephalica, cujus cauſa præcipua in cerebro hæret, ſive hypochondriaca, quæ ex conſenſu hypochondriorum, oritur. Quatenus I. acidum iſtud exceſſivum ſpiritus figens evacuatur. II. Spiritus uni rei ſemper intenti per dolorem à veſicatorio excitatum avertuntur, dumq;

hoc

hoc per aliquod tempus continuatur, plenariè tandem ab ipsâ abſurdâ re, quam ſemper animo volvunt, abſtrahuntur.

§. XIV.

Veſicatoriis ſi careremus multi ſanè oculorum affectus vix aut ne vix quidem curarentur, quod in *Ophthalmia* clarum eſt: oritur autem hæc vel à nimia copia vel ab acrimonia ſanguinis, undè rubedo inflammatio & dolor in oculo maximus. His indicantibus optime reſpondent Veſicatoria, & quidem triplici modo. I. Copiam ſanguinis revellendo. II. Materiam acrem corrigendo, ſubtrahendo & per Veſicam evacuando, & III. tremulis ſuis convulſionibus obſtructionem ex porulis tunicæ adnatæ inflammatis tollendo. Huncin finem variis locis applicantur, modo carpis, modo brachiis, modo pone aures, quibus tamen Ettmüll. T. 2. p. 651. nucham præfert, *quia*, inquit, *arteria cervicalis ibi ſe dividit in duas partes, interiorem, etiam ad oculos progredientem, & in exteriorem, hinc indè diſſeminatam: unde Veſicatoria, dum in nuchâ faciunt dolorem, auctiorem eò ſanguinis promovent fluxum, dum ex ramo hoc interiori fit derivatio quaſi ad ramum exteriorem, ut majori impetu ac copia ſanguis ad oculum fluat.* Cum etiam in nonnullis ſtatus ſanguinis ſcorbuticus minimè corrigi poſſit, ut ita ſæpius recidivent oculorum affectus, optimo conſilio adhibentur veſicatoria, ut hoc modo quamvis à poſteriori & palliativè una cum reliquo ſero pars tantum iſtius nocivi humoris & ſalibus peregrinis ſcatentis evacuetur. Et ut hoc fine potiamur, veſica per aliquod tempus aperta ſervetur, quod fieri poteſt Empl. citr. vel ſperm. ran. addito pulvere canthar. q. ſ. pro ſtimulo. Non tamen in ophthalmia à ſuperſtite morbilloſo fermento orta Veſicatoria prodeſſe vult, Morton. Tom. 3. p. 39. quod orgaſmum ſpirituum animalium efferatum & ſanguinis fervorem augeant.

Nec minorem operam præſtant in *Suffuſione*, *Cæcitate* & *Viſus debilitate.* vid. Senn. Pr. L. 1. P. 3. Sect. 2. cap. 28. & 44. Sic etiam oculi prolapſum à violentâ percuſſione veſicatoriis curatum Rolf. Meth. cogn. & cur. part. C. H. aff. p. 92. perhibet.

§. XV.

§. XV.

In *Tinnitu* quoque & *Auditus difficultate* Rolf. l. c. p. 94. ea commendat, nec ſine ratione: cum enim ille plerumque dependeat tum ab impuritate aëris interni, tum à cauſa intrinſeca, aërem internum movente, tum à tympani læſione: hæc autem modo ab inſufficiente influxu ſpirituum animalium, vel etiam meatuum ab humoribus viſcidis obſtructione, facilè patet ea hic prodeſſe; veſicatoriis enim non ſolum impuritates tolluntur, ſed etiam ſpiritus ratione doloris admonentur, ut copioſiores ad aures fluant: membranulæ quoq; meatuum concuſſæ & quaſi convulſæ facilius materiam obſtruentem excutere poſſunt. Sic etiam in aurium inflammatione revulſionis gratia applicari poſſunt.

§. XVI.

In *Odontalgia* maximum afferunt commodum veſicatoria, & quidem præcipuè in illa ſpecie, quæ oritur à nimiâ ſeri acrimonia, fibrillas nerveas in dentium radice vellicante, ubi ſanè nunquam ſunt negligenda Veſicatoria, quoniam non ſolum humores ſeroſos acres corrigunt, ſed & potentiſſimè educunt. Variis autem locis admoventur: Veteres ea applicabant ſub mento, quod teſtantur rythmi Sluteri à Strobelbergero de dent. Podagr. p. 76. allegati:

Linitam paſtam ſub mento nocte ligabis
Pulvere Cantharidum, ſic ruptâ pelle notabis,
Et per Veſicas dentis tormenta fugabis.

Alii applicant flexuræ cubiti, ubi vena tundi ſolet, & quidem iſtius lateris, ubi dolores ſentiuntur intenſiores: quod faciebat Judæus iſte cujus mentio fit M. A. N. C. Dec. 2. Ann. 5. obſ. 160. qui quinque cantharides, tres allii apices minutiſſimè conciſas & cum theriaca in formam emplaſtri redactas dicto loco admovit, multosque hoc modo curavit. quocum coincidit quod Dec. 2. Ann. 4. obſ. 90. in ſcholio legimus, feminam doloris dentium curam quæſiviſſe & inveniſſe in raph. ruſtic. venis cubiti lateris affecti impoſito. Platerus carpis allium contuſum applicat. vid. Obſ. lib. 2. p. 371. & 375. Borellus idem allium cum ſale pollici imponit. cent. 3. obſ. 27.

alii

alij aliis locis. Sed quocunque demum in loco applicentur, effectum ferè ſemper ſperare poſſumus optatum, cum unus ferè ſemper eorundem operandi modus ſit: quodſi verò in eâ cavitate, qua maxilla inferior ſuperiori dearticulatur, admoveantur, eò melius operabuntur, quoniam ibi ſubſunt vena, arteria & nervus, quæ ad dentium radices diſtribuuntur, quoniam non ſolum hoc modo humores avertuntur, ſed quoque intercipiuntur, dum ſubtus poſita vaſa irritatione hâc importuna arctantur & conſtringuntur. Veſicatoriis tali modo applicatis ſe dentium cruciatus intolerabiles ſedaſſe perhibet Paræus lib 16. p. 477.

§. XVII.

Nec in *Angina* deſunt qui Veſicatoria commendant. Sic Foreſtus Lib. 15. obſ. 16. Rhaſen phœnigmis uti in angina teſtatur, addens adhuc obſervationem, ſe ſcil. ad quendam angina deplorata laborantem una cum aliis Medicis vocatum fuiſſe, ubi omnia in angina conſueta auxilia & præſidia incaſſum adhibita, inito igitur cum Collegis conſilio, veſicatorium in collo verſus aurem ubi angina erat appoſuiſſe & ægrum h. m. à præfocatione liberatum fuiſſe. Ratio forſan hæc eſt, quod materia acris acida obſtructionis & inflammationis cauſa, ſic ad extra vocata fuerit, cum antea propter muſculorum internorum gracilitatem ſemper intro vergeret. Verum talia non ſemper, ſed materia benè fluente & in periculo ſuffocationis præmiſſis aliis adhibenda eſſe, optimè citatus Author monet. Poſſent tamen aliis quoque locis revulſionis gratia adhiberi.

§. XIIX.

Quid in catarrhis valeant in vulgus notum eſt; quamprimum enim ſeri acrioris depoſitio ad quandam partem contingit, ſive id ſit ad oculos, nares, pectus &c. iſtudque vitium à priori commodè corrigi nequit, ſtatim veſicatoria pro humoris iſtius eductione adhibentur. Inpr. autem in tuſſi à catharrho oriunda nobiliſſimam ea præſtare operam Williſius de ſe ipſo teſtatur, Pharmac. Rat. p.m. 271. Verbo ejus digna ſunt, ut hic legantur: *Fateor*, inquit, *me ſæpius tuſſi immani cum ſpu-*

to copioſo & graſſo (cui originaliter ſum obnoxius) correptum à nullo alio remedio plus quam à Veſicatoriis juvamen recepiſſe. Rationem ſtatim ſubjungit: *ita namq; ſeroſa illuvies à ſanguinis compage ſoluta exundans, à pulmone derivatur, quin & cruoris mixtio, quatenus hoc modo ſalia ejus enormia deſtruuntur, craſin ſuam citius recuperat.* Adderem adhuc, pulmonum bronchia per ſpicula cantharidum Maſſæ ſanguineæ communicata ſtimulari, ut majori cum niſu materiam intus hærentem exturbent. Pari modo etiam in *Aſthmate* conducent, materiam viſcidam & tenacem bronchia obſtruentem incidendo, & ad ejectionem per tuſſim diſponendo, ſimul etiam bronchia ſtimulando. Hunc in finem ipſi pectori applicari poſſunt, quod Thomas Fienus vult in omnibus pectoris affectibus lib. de Cauter. cap. 2.

§. XIX.

Nec minus proſunt in *Phthiſi* à catarrho oriunda vid. Rolf. l. c. p. 154. Nec absque ratione: cum in phthiſi omnimodo eo laborandum ſit, ut materia iſta acris pulmones erodens tum corrigatur & ita mitigetur, ut nullam amplius vim in pulmonum ſubſtantiam exerere queat, tûm etiam quantum poſſibile à pulmonibus revellatur, perque convenientia loca è corpore educatur, veſicatoria ſanè optima ſunt, utrique enim ſcopo ſatisfaciunt. Nam juxta Williſij Pharmac. Rat. p.m. 271. materiam quamvis heterogeneam ac morbificam ſenſim expurgant & ab indole nimis acida aut ſalſa aut alias vitiata in rectam temperiem alterant. Confer. Muys Prax. Chir. Rat. pag. 70. & juxta Wedel. Amœn. Mat. Med. p. 87. acutis ſuis particulis cuti infixis archæum irritando advocant humores, eosdem fundunt ac dilatant, ut eò magis illabantur. Intelligenda tamen hæc ſunt de phthiſi incipiente, nam in phtiſi confirmata, ut omnia alia, quamvis præſtantiſſima remedia, irrita & fruſtranea ſunt, ita & hæc tum temporis parum auxilij afferent.

§. XX.

In *Hæmoptyſi* quoque commendantur à Rolf. l.c. p.148. eaque ſuadet extremis applicare. Mirum ſanè hoc videri poſſet,

ea

ea hic commendare remedia, de quibus conſtat magnum ſæpè ab iis excitari motum in Maſſa ſanguinea, & ita accelerari potius hæmoptyſin, quam ei remoram poni, aſt ſi penitius rem conſideramus, videbimus etiam hoc in affectu veſicatoria cum fructu poſſe adhiberi; dum enim per ſpicula & ſal veſicatorii acre fibræ cutis irritantur, major copia humorum ſic affluit & neceſſario à pulmonibus revellitur, ſimul quoque dum fibrillæ ita punguntur, ſe contrahunt & quaſi criſpantur, uti Williſius loquitur, unde vaſa eorumque orificia anguſtantur, ſicque ſanguini arterioſo remora ponitur & venoſus lento magis gradu ad cor properat.

§. XXI.

Nec *Palpitatione* cordis laborantes veſicatoria deſtituunt, ſed notabilem iis afferunt opem, ſive palpitatio iſta oriatur ab acrimonia ſanguinis & aquæ pericardij, ſive à grumis ſanguinis ſive à motu Spirituum animalium influentium impetuoſo & inordinato, ſive à quacunque demum cauſa, modo potens ſit motum iſtum cordis ſubſultorium, convulſivum & palpitantem efficere. Et omnibus hiſce memoratis cauſis obviam ire licet veſicatoriis, ſi enim juxta Williſium adeò inſigni humores vitioſos alterandi vi pollent, facilè etiam in cordis palpitatione peccantes corrigere & ad εὐκρασίαν diſponere valent, non tamen neglectis ſimul aliis huic ſcopo convenientibus remediis. Humores præterea vitioſi ad partes externas à corde revelluntut & continuato fluxu per aliquod tempus è corpore evacuantur. In Spiritus quoque impetuosè nimis in cordis fibras irruentes optimè agunt, dum eos per fibras in cute irritatas, indeque ortum dolorem, ad partes exteriores revocant, & ſic alium motum iis imprimunt. Cantharides hoc caſu veſicatoriis non admiſcendas eſſe Senn. Pr.L.2. P.4. cap.4. ex Mercuriali monet, quod vim malignam & cordi adverſam habeant. Sed hoc non obſtante Veſicatoriis tamdiu canthárides admiſceri poſſunt, quamdiu non explicatur, in quo vis iſta cordi adverſa & qualitas maligna conſiſtat.

§. XXII.

Ad *Ventriculi* quoque *dolorem* ſive *Cardialgiam* à Rolf. l. c. p. 203. laudantur. Conducunt autem duplicem ob rationem 1. quod teſtante Ettmüll. Tom. 1. p. 297. *Objectum ſenſile fortius ſive quod majorem dolorem infert, ſoleat obtundere ſeu infringere perceptionem objecti debilioris: undè ſi quôdam in loco ex partis cujusdam præſertim nerveæ irritatione & doloribus ſequuntur gravia plus minus ſymptomata, tunc ex dolore majori per veſicatorium excitato non advertitur dolor & irritatio minor; hinc in loco prius male habente, per Spirituum à dolore veſicante alio avocatum motum, fit alteratio & ſucceſſiva cauſæ morbificæ correctio, partimq; ejus averſio, partim in aliam partem translatio & ita per accidens prioris curatio.* 2. Quod ichorem ſeroſum & acrem è ſanguine ſegregando & educendo cauſam cardialgiæ tollant. Fienus lib. 4. de caut. cap. 2. vel regioni ſtomachi vel ipſi cordis ſcrobiculo applicare jubet. Idem Veſicatoria quoque prodeſſe vult in colica & iliaca paſſione, quod facile concedo, ſi dependent ab acrimonia quadam, aliàs minimè.

§. XXIII.

Pro ſcopo Ventriculi evacuatorio ea utilia eſſe perhibet Langius Oper. Part. 1. p. 759. quando ſcil. illud effluvium continuatur per menſis ſpatium. Cum minimè comprehendere queam, quâ ratione hoc contingere poſſit, judicium meum ſuſpendo. Scio quidem magnum Veſicantium eſſe uſum in alterandis & educendis corporis noſtri humoribus, maximam quoque vim poſſidere in motu ſpirituum corrigendo, an autem ex ipſa cavitate Ventriculi humores vitioſos educant, dubius hæreo.

§. XXIV.

Et *ſcirrhus* quoque Veſicatoriis curari poteſt, quamvis is ſit ſatis contumax, aſſerente Hieron. Capivac. L. 3. Med. Pract. cap. 26. qui quatuor vel quinque & quidem ſatis vehementia

veſica-

veſicatoria ſuadet & paulo poſt l. c. in ſcirrho lienis tamdiu iis inſiſtendum monet, quamdiu adeſt præſentia indicantis, & niſi aliud quid prohibeat. Hildanus quoque Cent. 3. obſ. 79. cauterio potentiali ad tumorem ſcirrhoſum uſus eſt. Eò tamen in omni ſcirrho probè reſpiciendum eſt, an aliquid cancroſi ſubſit, hoc enim caſu maximè abſtinendum eſſe à cauſticis & Veſicatoriis idem Hild. Cent. 6. obſ. 75. monet. Nec in ſcirrho mammarum à lacte coagulato juxta eundem adhiberi debent, quod & in his facilè cancer concilietur, cujus rei exempla notat. Cent. 2. obſ. 78. Hinc ſumma cautela opus eſt in iis applicandis, & ſi quid operantur, id efficiunt reſolvendo & materiam acidam coagulantem educendo.

§. XXV.

Cum natura ſæpè motu ſpontaneo in hydropicis veſiculas excitet, quibus disruptis multum aquæ notabili cum ægrotantium levamine evacuatur, ad hujus imitationem nonnulli Veſicatoria ſuadent. Sed horum uſus maximè ſuſpectus habetur multis Practicorum, paucos tantum allegaſſe ſufficiat. Ludov. Septal. Animadv. Med. Lib. 7. No. 56. perhibet, nullum ſe totis 40. annis quibus Mediolani Medicinam fecit, curatum vidiſſe, cui à Medicis veſicatoria cruribus admota fuere, ſed ferè ſemper gangrænas ſecutas fuiſſe curatu impoſſibiles. cui jungi poteſt Hipp. 6. aph. 8. aquâ inter cutem laborantibus exorta in corpore ulcera non facilè ſanantur. Uſum quoque eorum rejicit Sydenham Opuſc. p. 635. ut & Maſſaria Oper. Medic. p. 197. aliique. Rationes hunc in finem à Williſio, Sydenham & Wedelio aliisque prolatæ ſunt. 1. quod aqua nimis confertim ruat ad ulcera hæc arte parata, unde 2. tum propter nimiam aquæ copiam, tum propter ſtimulum ſalinum perpetuum ulcera redderentur inſanabilia, cum nulla mora ſit, ad ulcera ſananda maximè neceſſaria. 3. quod calor partis nimis exhauriatur & ſpiritus diſſipentur, unde 4. gangræna & ſphacelus ſequerentur.

His tamen non obſtantibus Veſicatoriis in *Anaſarca* uti poſſumus, ſi ea adhibemus 1. corpore adhuc vegeto & calore partium nondum deſtructo. vid. Senn. Pr. L. 3. Part. 6. Sect. 2.

 cap. 3.

cap. 3. Et 2. non tam artuum extremitatibus quam femoribus ac humeris & in hydrocephalo pone aures ac in nucha vid. Ettmüll. Tom. 2. p. 500. quia in extremis calor debilis eſt & tumor maximus, juxta Williſ. Pharmac. Rat. de Anaſarca p.m. 252. ac denique 3. ſi locis magis carnoſis quam nerveis utpote gangræna magis obnoxiis applicantur. vid. Ettmüll. l. c.

§. XXVI.

Quid in *Febribus* præſtent Veſicatoria omnibus notum eſt. In *Intermittentibus* pro rigore imminuendo utilia cenſentur ab Ettmüll. Tom. 1. p. 298. & Tom. 2. p. 1423. Dolæo Encycl. Med. p. 821. Sennerto de Febb. Lib. 2. cap. 18. p. 285. & cap. 20. p. 314. qui Veſicatorium ex foliis ranunculi recenter contuſis, allio & cæpis, carpis applicat. Platerus Prax. Tom. 2. p. 151. corticem interiorem juglandis ramorum in aceto maceratorum carpis applicat, & hoc remedio feliciter ſe uſum eſſe teſtatur, maculam nigram parit & nonnihil erodit. Lentilius Miſc. Med. Pract. pag. 41. in quartana & aliis febribus intermittentibus commendat pulv. pyr. cum ſucco allii & portione fermenti. Hunc in finem quoque decantatum eſt Emplaſtr. febrif. Strobelbergeri ex aëre, igne, aqua & terra, i. e. ex telis aranearum, quia ſunt in aëre, ex fuligine, quoniam per ignem fit, ex terebinthina, quæ eſt fluida, & denique ex ranunculo cauſtico, quia ex terra creſcit. Applicantur modo carpis & pulſibus, modo plantis pedum, modo toti abdomini. Conveniunt autem in intermittentibus eam ob rationem, quia fermentum febrile vellicatione ſua in partibus, ubi applicantur, moleſtâ à nobilioribus avertunt & magis ad exteriores derivant, ut ſic natura magis ſui juris hoſtilem corpori materiam debellare & ſubigere queat.

§. XXVII.

In *Continuis* febribus ea in uſum eſſe trahenda, nemo ferè eſt Medicorum qui dubitat, non tamen in quâcunque febre continua & ardente, ſed in maligna aut quæ huc tendit ea indicari, vult Morton Tom. 2. p. 186. nec in hâc abſq; inſigni neceſſitate: Hinc acriter quoque invehitur Thonerus

lib. 1.

lib. 1. obſ. 20. in eos, qui adeò prompti ſunt veſicatoriis in quibusvis febribus continuis, & tragica aliquot hujus rei exempla affert. Atro quoque carbone notat eos, qui ea nullo non tempore applicant, cum tamen ſi ullibi tempus applicationis hic ſanè præciſe obſervari deberet. vid. Thon. l. c. & Maſaria Oper. Medic. p. 440. Tempus autem legitimæ applicationis ex conſenſu optimorum Practicorum eſt, incrementum ſive principium ſtatûs, quando ſcil. ſymptomata graviora inpr. capitis & animalis facultatis imminent aut urgent, qualia ſunt capitis dolores exceſſivi, convulſiones, gravius delirium, vel affectus ſoporoſi, hinc Morton Tom. 2. p. 58. ad coma & ſudores frigidos toti capiti impoſita ea commendat: non tamen in omni comate ea prodeſſe aſſerit Sydenham de novæ febris ingreſſu Opuſc. p. 660. adeoque in omnibus iis caſibus utilia ſunt ubi ſuſpicio eſt, fermentum malignum magis ſpiritus animales & genus nervoſum afficere, vel quacunque ex cauſa raptum ſanguinis, ut Practici loquuntur, ad caput fieri; in miaſmate enim maligno evacuando ſingulare quid obtinent, quia mediante ſpirituum ad locum dolentem concitato impetu, materiam partibus nobilibus imminentem & infeſtam ad exteriores & ignobiliores inibi excernendam revellunt. Optima quoque ſunt in criſi febrium malignarum, quæ tamen imperfecta eſt: naturam criſin moliri videmus in maculis hinc inde erumpentibus & tunc diriſſima generis nervoſi ſymptomata ſunt. vid. Morton. l. c. p. 40. imò quando maculæ iſtæ retrocedunt, conſulto adhibentur, quoniam ſic opus naturæ per veſicatoria applicata optimè promovetur. Natura etiam quandoque per ulcera hæc à veſicantibus excitata criſin inſtituit. vid. Williſ. Pharmac. Rat. p. m. 273. hinc non tam citò occludenda ſunt, quoniam facilè recidivam patiuntur ægri, cujus rei exemplum l. c. profert. Nec ſine fructu adhibentur iis in caſibus, quando extrema frigent, interiora verò quaſi uruntur, ſic enim ſpiritus una cum calore ad exteriora vocantur. Dicta præter quotidianam experientiam varii confirmant Authores. Hœferus in Herc. Med. p. 282. de ſe ipſo ſcribit, ſe febre malignâ laborantem per triduum totali uſu rationis, ſine cibo, motu & loquela deſtitutum ja-

cuiſſe

cuiſſe, poſt cantharides autem nuchæ applicatas & veſicam ruptam rationi, loquelæ & tandem priſtinæ ſanitati reſtitutum fuiſſe. Conf. Act. Haffn. Vol. 3. obſ. 44. Borell. Cent. 1. obſ. 60. quod ipſum etiam cantharides carpis applicatæ in Parente meo per integrum ferè diem loquela & ſenſibus externis deſtituto effecerunt. Sic Williſius in febre epidemica Anni 1661. veſicatoria variis in partibus cum fructu adhibuit, de morb. convulſ. p. m. 52. Idem teſtantur M. A. N. C. Dec. 1. Ann. 2. obſ. 214. Sæviente ſc. febre peſtilenti in pago Glozenberg ab applicatis veſicatoriis viro 30. annorum graviter decumbenti intumuiſſe manus cum inflammatione & livore, ſed evidenti cum levamine & ſymptomatum febris remiſſione, tumore livore & inflammatione paucos intra dies ceſſantibus. Applicantur Veſicatoria in febb. malignis diverſis in partibus, regioni ſc. parotidum, juxta alas & inguina, modo etiam carpis aliisque extremis partibus, quibus tamen Morton veſicatoria applicare dubitat 1. quod ſerius ac minori cum certitudine finem ſuum aſſequantur. 2. quod haud rarò â venenato humore trajecto ulcera maligna aut curatu admodum difficilia, imò nonnunquam gangrænam præſertim in ſenioribus inducant. Tom. 2. p. 186. quod poſterius etiam experientia nonnunquam comprobat. Sed cum morbi eorumque cauſæ & ſubjecta quoque ipſa varient, hæc non ad omnia ſubjecta extendenda ſunt, & Medicus prudens pro ratione circumſtantiarum facilè locum applicationis determinabit. Quæ de febribus malignis dicta ſunt, eadem etiam intelligenda ſunt de *Peſte*, in cujus præſervatione ea optima eſſe teſtis eſt Maſſaria Oper. Medic. p. 522. in curatione tamen ea non admittit niſi præmiſſis univerſalibus, aut materiâ turgente vel coctâ. l. c. p. 534. quod etiam vult Ludovicus Septalius Animadv. lib. 5. Num. 45. Conf. Timæi à Güldenklee conſilium de Peſte. Id adhuc obſervandum, in peſte ſæpius ſub formâ cataplaſmatis applicari, loco circum circa theriaca illito. vid. Senn. de febb. lib. 4. cap. 6.

§. XXVIII.

Inpr. autem Veſicatoria in peſte indicantur à *Bubonibus*, quæ tamen à Sylvio rejiciuntur Oper. p. 962. ſine his tamen vix

vix feliciter curari Bubones, teſtantur Barbette & Diemerbroek de Peſte, Senn. de febb. lib. 4. cap. 6. p. 473. & 474. Hieron. Fabr. ab Aquap. Pentatev. Chirurg. p. 154. Obiter hic notandum falſo Aquapendentem argui à Borello cent. 2. obſ. 58. acſi adeò infenſus hoſtis eſſet Veſicatoriorum, contrarium enim patet, tum ex dicto loco tum etiam ex pag. 38. Et primo ſtatim tempore, quamvis tumor adhuc ſit parvus, veſicatoria à Barbette ſuadentur, quocum conſentit Diemerbroek, qui ea, quamprimum æger ſentit tumorem, applicare ſuadet. Ratio quoque ipſa ſuadet ea eſſe utiliſſima, quoniam liquores reddunt magis fluxiles, materiæ ſegnitiem ſtimulant, & una cum ſeroſa colluvie & noxiis humoribus, miaſmata peſtilentialia per ulcera educunt, ſeu uti Sennentus l. c. loquitur, venenum à corde avertunt & è corpore eliminant. Quoniam autem in hiſce affectibus acutiſſimis celerrimum requiritur auxilium, acriora eſſe debent veſicatoria, hunc in finem commendat Sennertus canthar. p. j. ferment. p. iij. & aceti parum. cui Barbette Euphorb. Sem. ſtaphid. agr. Sinap. rad. pyrethr. adhuc addit. Applicantur modo infra Bubonem, ita tamen, ut Veſicatorium ipſam duritiem attingat, quod vult Diemerbroek. Vel juxta Hild. cent. 6. obſ. 98. quatuor aut quinque digitos transverſos infra bubonem: quibus tamen præferrem modum Barbetti, qui ea ipſi Buboni imponit, cum ſic facilius venenum è corpore extrahatur & maturatio, ſi inpr. veſicatorio addantur cepæ, promoveatur. Excitata veſica poſt 7. vel 8. horas eſt aperienda, eique imponendum Empl. magnet. arſenic. Ang. ſalæ, cujus deſcriptionem & uſum vid. apud Barbett. Eidem fini inſervit folium braſſicæ rubræ butyro veteri & oleo raparum inunctum, & ſic veſica per aliquod tempus aperta ſervanda eſt. Nec minorem uſum præſtant Veſicatoria in *Bubonibus Venereis*, ubi præmiſſis univerſalibus ad extrahendum miaſma venereum & bubones rumpendos omnem ferè abſolvunt paginam.

§. XXIX.

Uti in febribus malignis Veſicatoria legitimè applicata magno cum fructu adhibentur, ita etiam in *Variolis*. Uſum

eorum commendat Sydenham Opuſc. p. 472. in ſtatu: quocum conſentit Morton Tom. 3. p. 98. qui, quando dolores capitis, artuum vel lumborum lancinantes ſpaſmodici urgent, poſt V. S. veſicatoria ampla & acria adnucham & carpos internos ſuadet. Idem facit in confluentibus ſive malignis l. c. p. 118. & 120. in maturatione p. 151. & declinatione p. 185. conf. Ettmüll. Tom. 2. p. 413. In retroceſſu quoque optima eſſe teſtantur præter Ettmüll. l. c. Act. Haffn. Vol. 3. p. 71. ubi variolæ retrocedentes, animi deliquia & frigus extremorum in ægro producentes, quatuor veſicatoriis, interiori ſive domeſticæ brachiorum & femorum parti applicatis, revocatæ fuerunt. Inter veſicatoria maximè commendat allium Sydenham Opuſc. p. 473. pedibus applicatum, idque adhibet à die morbi octavo uſque ad finem. Applicantur autem Veſicatoria eum in finem ut ſumma iſta acrimonia & corroſivitas cutem etiam erodens, partibusque nobilioribus inpr. autem generi nervoſo non raro noxam minitans, ab iis revellatur & è corpore educatur. Eodem etiam modo proſunt in *Morbillis*, & quidem ubi metus eſt malignitatis, ubi frequentem eorum uſum ſuadet Morton. Tom. 3. p. 28. & 30. ad ſpirituum ſc. expanſionem promovendam & avertendos ſpaſmos coma & deliria.

§. XXX.

Veſicatoria probatiſſima aliquando Arthriticorum exiſtere remedia, unanimis Authorum ferè omnium eſt opinio, & experientia conſtat ægros, fruſtra aliis remediis adhibitis, ab his ſolis reportaſſe levamen. Sic Daniel Ludovici veſicatoria ex cantharidibus aliquoties Podagricis robuſtioribus nec ad inflammationes adeò diſpoſitis in paroxyſmo ipſi parti affectæ impoſuit, addit adhuc aliquot exempla veſicatoriorum in variis Arthritidis ſpeciebus inpr. malo iſchiadico cum fructu applicatorum M. A. N. C. Dec. 1. Ann. 9. & 10. obſ. 34. Eodem modo etiam veſicatoria ad genua applicata, præſertim ubi ſpaſmus concurrit, valdè & celeriter tollere noxiam materiam M. A. N. C. Dec. 1. Ann. 2. p. 316. teſtantur. eadem quoque in coxendicis dolore ſuadet Valeſc. de Taranta lib. 6. cap. 21. Optimè enim mediantibus Veſicatoriis materia iſta tartarea

tarea viſcida reſolvitur attenuatur & ab articulis avocatur, quæ aliâs facilè conſueta excitaret ſymptomata, niſi per veſicatoria eliminetur. Imo cum materia nimis profundè inpr. in malo iſchiadico infixa hæreat, ita ut nullis medicamentis corrigi ſæpè numero aut abigi poſſit, optimo conſilio adhibentur veſicatoria, ipſi loco dolenti impoſita, ſic enim per continuam iſtam irritationem & fluxum continuatum, præcipuè ſi veſica per aliquod tempus aperta ſervetur, tandem materia iſta, quam tenaciter etiam ipſa parti inhæreat, correcta & ſubacta per veſicas educitur. Et hoc in caſu Veſicatoria Moxæ Sinenſium aliisque cauteriis præferrem, quod hæc cutem tantum adurant, ulcuſculumque excitent, ſicque naturæ viam monſtrent, per quam ſylveſtria ſalia educere poſſit: illa autem præter hæc ſingularem adhuc vim corporis noſtri humores alterandi poſſideant. Nec forſan ſine fructu in ipsâ Arthritide vaga ſcorbutica adhiberi poſſent, ubi ſcil. dolor eſt vagus, modo in hoc, modo in alio articulo, modo etiam in partibus muſculoſis, modo in pluribus partibus ſimul, præter enim quod diatheſin ſeri ſcorbuticam corrigere valeant, ſimul locum certum deſignant, per quem humor iſte ſcorbuticus totum corpus hinc indè pererrans, moleſtoque ſenſu afficiens, commodè evacuari poſſit, & ratione doloris in parte quadam exteriore excitati, ſpiritus, ſine quibus nullus dolor contigere poteſt, ad exteriora vocantur, ut ita dolor articulorum etiam hoc pacto minuatur, vel non adeò exquiſitè ſentiatur.

§. XXXI.

In affectibus quoque cutaneis maximæ eſſe utilitatis Williſius perhibet & quidem non ſine ratione cum enim affectus hi cutanei plerumque dependeant à ſero ſalſo & acriori in poris cutis hærente, neceſſario requiruntur medicamenta tum ſerum iſtud alterantia, tum educentia, quod utrumque præſtant Veſicatoria, nam juxta Williſium de Operat. Medicam. p. m. 271. Sanguinem quoad Salia degenerem aut depravatum alterant ac reſtituunt, quin & compagem ejus aperiendo aut ſubtiliſando verſus εὐκρασίαν diſponunt. Deindè Humores iſtos ſeroſos, acres, in cute hærentes maximamque moleſtiam

ibi creantes, irritatione ſua excutiunt & mediante reliquo ſero è poris eliminant.

§. XXXII.

In inflammatione denique eorum uſum commendat Hieron. Fabr. ab Aquapend. Pentateuch. Chirurg. p. 38. ut ſc. hoc modo ſanguis, nimia copia ad partem inflammatam ruens, revellatur & remora ei ponatur, quo lento magis gradu ad affectam partem fluat. Et hæc de Veſicatoriorum uſu ſufficiant: plura quidem adhuc addi potuiſſent, plura melius dilucidari, ſed cum multa alia negotia id non permiſerint, finem facere coactus fui. Deo interim ſit laus, honor & gloria.